





G. 5. num. 21.

19  
DE  
H O N O R A R I O

EIVSQVE

A MERCEDE DISCRIMINE  
AVCTORITATE  
INCLITI IVRISCONSULTORVM ORDINIS

PRAESIDE

ADOLPH. FRID. TRENDELENBURG

S. PALATII CAES. COMITE

I. V. ET PHILOS. D. SACRAE REGIAE MAIEST. DANICAE

A CONSILIIS IN REBUS PUBLICIS

IVRIS ANTECESSORE PRIMARIO

SOCIET. DVC. TEVT. HELMSTAD. MEMBRO HONORAE.

PRO

SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

DISPYTAT

AVCTOR

FRIDERICVS NVERENBERG

GRYPHISWALDENSIS POMERANVS

SACRAE REGIAE MAIEST. SVVICAE SVMMI IN GERMANIA

TRIBUNALIS WISMARIENSIS PROCVRATOR ORDINARIVS

ET REGII CONSISTORII WISMARIENS. SECRETARIVS.

A. D. XVIII SEPTEBR. A. O. R. c180cclxxv.

CHILONII HOLSATOR.

EX OFFICINA BARTSCHIANA.





NVERENBERGIO SVO

S. D.

PRAESES.

*Noli a me expectare, mi dilectissime NVERENBERGI, quod forte, pro more huius generis epistolas scribentium, iure quasi Tuo expectare poteras, ut scilicet multis variisque laudum generibus TE cumulem aut plane obruam. Scio enim, quam aliena sit a pudore, quem Tua TIBI natura attribuit, profusa illa laudandi ratio, et TV scis, quam longissime ego absum ab illo extollendi studio, quod nescio invidiae plus in laudato, an adulationis in laudante certe speciei habeat. Quare quidem ab hoc scribendi genere plane abstinueram, nisi voluisssem mei in TE amoris, qui summus est, tam ob Tui, quam ob affinis Tui, amabilis et amantissimi mei KOCHII, dulcissimi mihi et carissimi nominis, personam, his literis publicum exstare et perpetuum monimentum. Id ipsum autem non multis verborum ambagibus cupio, sed sincera hac animi mei declaratione consistere, qua TIBI iam publice significo, quod satis superque scire debes, impense TE a me amari, meque quam maxime Tua salute delectari. Quae quidem quum novum capiat iis honoribus incrementum, ad quos aditum TIBI, more maiorum, hoc libello, me, comite magis, quam praeside, ad disceptandum proponendo, paras, non possum, quin et novos hosce honores, quibus TV TE doctrina Tua dignissimum praestras, et alia quaecunque, quae felicia TIBI contingunt, ex animi sententia gratuler, TIBIque in posterum quaevis fausta atque prospera adprecaturus, mei memoriam per omnem vitam impensissime commendam. Vale.*

Viro

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
FRIDERICO NVERENBERGIO  
SVMMORVM IN IVRE HONORVM CANDIDATO DIGNISSIMO  
AVVNCVLO SVO AESTVMATISSIMO,

S. D.

IOANNES CHRISTIANVS KOCH,  
RÜGIANVS I. V. C. OPPONENS.

*Si quid unquam, hoc certe natura nobis attribuit, ut iis potissimum, quos nobis arctissimo, et sanguinis, et amicitiae vinculo iunctos habemus, prospera omnia velimus evenire, et ita quaecunque ex voto accidere, ut, quidquid fuerint adgressi, in eo felicissimus euentus eodem subsequatur. Quare quum et TIBI, AVVNCVLE HONORATISSIME, quem mei non nisi amantissimum esse inde ab infantia noveram, ex merito res succedat, mirum vix ulli videbitur, quod incredibile quadam voluptate perfundar, oblatamque occasionem, qua in conferendis TIBI summis in iure honoribus adesse licet, tanquam exoptatissimam ipse mihi gratuler. Neque etiam, praeter insignem TVAM benignitatem, aliud quidquam me impulit, ut onus aliquod in me susciperem, cui perferendo me admodum imparem esse facile sentio; et recusandum alioquin idem illud censuissem, nisi sperarem, eximium TVVM in me fauorem aliorum etiam, quorum expectationi atque satisfacere haud potero, indulgentiam mihi esse conciliaturum. Caeterum sollemnem proximi diei actum cum laude peragendum ex animo TIBI gratulor, eumque et in posterum TVVM erga me animum esse velim, ut, quamuis a nobis discedas, mente tamen et cogitationibus amicitiae vincula haud rescindantur. Quaecunque tandem susceperis, ea ut publicae rei commodo fiant, serio Deum precor, cuius auspiciis feliciter agas, feliciter ad TVOS reuertaris. Auxilio ille adsit inceptis TVIS, adiuvet indefessos labores, quidquid malorum immincat, benigne auertat, ita TE augeat omni felicitatis genere, ut nec quidquam TIBI adiaci amplius velis. Equidem vero hoc publice testor, nullo temporis spatio in me deletum iri TVORVM in me meritorem memoriam. Vale. Kiliae Holsat. a. d. XVIII. M. Septembr. MDCCLXXV. Quam*

Quam de honorario, eiusque a mercede discrimine, institutum disputationem, a) eam non incongrue ita videmur ordinare posse, ut primum quaeramus de honorario, quid sit & unde dicatur, dein simili ratione de mercede despiciamus, tum videamus, in quo honorarium a mercede differat, & quaenam contractuum genera mercedem quidem respuant, sed honorarium tamen admittant, denique adiciamus ea, quae de natura honorarii pro varia ratione contractuum, in quibus id occurrit, quaeri disputarique a doctoribus soleant.

I.

*Honor, vocis honorarii origo.*

Incipiamus igitur ab eo, unde honorarium dicatur. Nam quum voces sint rerum quasi, quas denotant, imagines, rerumque

a) Exstant quidem de honorario BARTH. LEONH. SCHWENDEN. DOERFFER, IER. EBERH. LINCKII, & ERNESTI TENZELII Dissertationes academicae, quae Lips. 1678, Argent. 1710. & Erford. 1714 prodire, & de honorario advocatorum in specie, IO. MELCH. SACHSII, Argent. 1662. BERNH. SCHVLZII Kilon. 1685, & IO. GOTTF. KRAVSII de eo quod iustum est, circa salaria & honoraria advocatorum Viteberg. 1739. Sed quamvis ex prioribus non nisi tertiam, & ex his, quas

postremo loco nominavimus, binas posteriores tantum inspexerimus, nolimus tamen mittere consilium nostrum, sperantes, fore non plane inutilem quatenuncque nostrum laborem, quum nemo, quantum scimus, id ex instituto egerit, quod nostrum inprimis est propositum, ut evolueremus mercedis & honorarii discrimen, qui vero id tetigerunt, non eam, quam nos ingressi sumus, viam sequuti sint. Quae quidem an recta sit & regia, tuum, benivole lector, erit iudicium.



que perinde, vt vocum, alia ab alia quasi descendat & deriuetur, vt cuiuslibet vocis vim propriam & potestatem recte perspiciamus, maxime iuuat, scrutari eius originem, & curate inquirere, quomodo ipsarum rerum similitudini, secundum cuiusue linguae genium, singula verba accommodata sint. *Honorarium* autem ab *honore* dici, ipse verborum sonus litterarumque elementa adeo clare loquuntur, vt cuiuslibet id statim appareat. Videamus igitur, quid voce honoris denotetur, vt recte intelligamus, quid sit id, quod honorarium dixere Romani. Qua quidem in re videtur paullo maior esse difficultas, dum id agamus, vt varias huius voculae significationes ad vnam generalem reducamus, vel quaeramus id, quod primum est in eius significatione, ex quo omnia, quae per eam denotantur, quasi riuulos ex fonte deducamus. *Honos* autem, vel *honor*, est enim frequens harum litterarum finalium apud Romanos commutatio, *a)* si adeo generaliter finiri debet, vt omnia comprehendantur, quibus haec vox tribuitur, significare videtur omne id, quod in re quaque pulcrum, *b)* quod nitidum est atque splendidum. Ita enim astris *c)* & verbis *d)* ac sermonibus *e)* honorem tribui videmus a Romanis, vt harum rerum splendorem & pulcritudinem ac gratiam

*a)* Conclamatum hoc est & a veteribus latinis scriptoribus, non tantum grammaticis, vt PAVLLO apud FESTVM sub lit. R. in DION. GOTHOFREDI auctoribus latinae linguae pag. 395. VARRONE de L. L. VI, 3. *ibid.* pag. 50. sed & ab aliis, veluti QVINCTIL. orat. inst. I, 4, 12. LIVIO III, 4. pr. CICERONE ad Fam. IX, 21. obseruatum & exemplis illustratum. Quin ex ipsis libris nostris hoc addisci poterat, POMONIO auctore in e. 2. § 26. in f. D. de O. I.

*b)* Ipse NON. MARCELL, IV, 231. apud GOTHFR. p. 665. extr. hono-

rem definit pulcritudinem & gratiam, quod vt prober, VIRGILIO testimonium denunciat duobus locis.

*c)* STAT. THEB. X, 327. *Cum vacuae nubes*, inquit, & honos non omnibus astris, vt vltimam noctis partem describens, nubes rore iam delapso vacuas, & astra orienti proxima paulatim pallefcentes & splendorem suum amittentes pingat.

*d)* Verborum honor dixit QVINCTIL. orat. inst. III, 7.

*e)* HORAT. de art. poet. 69. *mortalia facta peribunt*, Ne dum sermonum stet honos & gratia viuax.



tiam insigniat. Pari quoque ratione & ob notionis similitudinem, prouti in plurimis verbis accidit, quae ad eas res denotandas adhibentur, quas oculis non cernimus, sed mente formamus, honoris vocabulum translatum est ad sensum, quem dicunt morale, & ad ea, quae non sunt, sed intelliguntur. Homini enim dum honor tribuitur, id non tam ad corporis, quam animi potissimum pulcritudinem refertur. *f)* Ex quo, quod pulcrum homini ducitur laudemque ei adfert, id omne ad honorem pertinere videtur. Quare virtus & quaevis animi praestantia & excellentia, quatenus ea agnoscitur & iudiciis hominum vel signis illorum & effectibus illustratur, *g)* tum ipsa haec signa, & quidquid est, quo illa iudicia declarantur, honoris appellatione continetur. *h)* Ab hac honoris significatione verborum quoque *honesti* & *honestatis*, quippe ab hac voce procul dubio descendendum

A 2 tium

*f)* Ita enim mihi videtur, ut his adeo locis, in quibus de corpore eiusque membris honor praedicatur, id ipsum maxime ad id pertineat, quod & mentem animumque corporis habitus referat & prodat. Probare hoc videntur versus VIRGILII *Aeneid.* I 292 sqq.

*Restitit Aeneas, claraque in luce re-*  
*fulsit,*

*Os humerosque Dei similis: namque*  
*ipse decoram*

*Caesariem natō genetriv, lumenque*  
*iuventae*

*Purpureum, & lactos oculis adflarat*  
*honores.*

Ita PLIN. in *Paneg.* 8. *capitis* honorem & dignitatem oris iungit, sicut VIRGIL. *Aeneid.* X, 133. *honestum caput* dicit.

*g)* Qua quidem finitione nostra, vel potius GESNERI, quam nostram

facimus, volumus etiam istum honorem comprehendere, quem *internum* philosophi nominare solent. Is enim consistit, in conscientia virtutis animique praestantiae, sine qua, si quid video, *externo* honori, seu aliorum hominum de virtutibus nostris animique doctibus iudicio nulla vis inest, nulla efficacia. Sicuti contra vii sapiens & conscius recti, honore illo interno contentus, nec anxie quaerit externum, nec, dum eo se destitutum videt, animo angitur aut perturbatur, licet omnino proborum & honorum hominum laude insigniter laetetur, quum eadem, quae de se ipse verecunde sentit, probari atque firmari intelligat.

*h)* Quae quidem adeo nota sunt adeoque certa & indubitata, ut exemplis ea comprobare inanis foret diligentiae.

tium, vis atque potestas potissimum deriuanda est. <sup>1)</sup> Quare naturali ratione quilibet magistratus & quaeuis alia in re sacra aut militari eminens dignitas Romanis honor dicebatur, quum nil magis honorificum esse poterat, quam huiusmodi publico honore augeri. <sup>1)</sup>

<sup>i)</sup> Latiori enim significatu honestum quoque dicitur, quod pulcrum est, (ita enim honesti equi apud VIRGIL. *Georg.* III, 81. & asini apud VARR. *de R. R.* II, 6, 2. occurrunt) quod humili opponitur & nobilitate praefulget, sic enim in §. 4. 1. *de publ. ind. honesti supratrores* opponuntur *humilibus*, & honesto loco natus dicit CIC. *Tusc.* V, s. 35. & PLIN. *Epist.* VIII, 6, 16.

<sup>1)</sup> Magistratum honorem, & magistratus, in plurali numero, honores dici obseruat ERNESTI in *Clavi Cicer.* Sed an sacerdotum munus quoque sit honor dictus, dubitari potest. HEINECCIUM quidem in *hist. iur. Lib. I. §. 61. not. ex GRVTERI* inscriptionibus id nondum probasse, ex ARNAVUDIO docuit RITTER *ibid.* Hostiam & sacrificia honores dici ex multis locis constat, quae concessit CESNERVS post STEPHANVM in *thes. L. L.* & NON. MARCELL. quoque testatur loco, quem sub lit. *b.* nominauimus. Sed id plane ad sacerdotum honorem non spectat, quin potius ad honorem referendum videtur, qui aut Diis ipsis, aut hominibus, sacrificiis institutus, habetur. Sed cum lauit idem HEINECCIUS in *hist. edictor. Lib. I. c. 1. §. II.* in *Opuscul. postum.* p. 13. varias inscriptiones GRVTERI, in quibus *honor sacerdotii, pontificatus, flaminis, Seuiratus, Augustalitatatis, faecialis, anguatus*, legitur. Ommissis enim duabus illis, in quibus HONORATVS occurrit, quippe qua appellatione, nomen indicari posse damus, ad has tantum respicere volumus, quae satis manifeste probant, honorem his omnibus sacerdotibus tributum esse. Inter has quidem illa, quam e pag. DCCCLXXXIX, 7. pro Seuiratus honore nominauit, huc spectare non videtur, sed possunt huius loco aliae substitui, in quibus is occurrit, veluti p. XCIX, 10. CXC, 6. MLXXIII, 6. sicut & honor pontificatus p. EXVI, 3, & honor augustalitatatis p. CCXXXVI, 10. p. MLXVII, 8. item honor flamonii, p. CXC, 5. Accedit, quod sacerdotibus tribuatur potestas ius dicendi, quapropter REINESIVS adeo inductus est, Augustales in magistratum censum habere, quod recte reiecit, qui de Augustalibus & Seuiris curatissime disputat F. HENR. NORIS in *Cenotaphiis Pisani Dissert. I. c. 6.* in 10. GEORG. GRAEVI *Thesauri antiquitatum & historiar. Italiae Tomi VIII, Parte III, pag. 69* sqq. Quum vero, ob potestatem ius dicendi in causis ciuilibus, magistratus honores dicantur, nescio, quid impediatur, quominus sacerdotes, ob eandem potestatem iis in causis ad rem sacram spectantibus competentem, eodem ver-

## II. Hono-

tificatus, flaminis, Seuiratus, Augustalitatatis, faecialis, anguatus, legitur. Ommissis enim duabus illis, in quibus HONORATVS occurrit, quippe qua appellatione, nomen indicari posse damus, ad has tantum respicere volumus, quae satis manifeste probant, honorem his omnibus sacerdotibus tributum esse. Inter has quidem illa, quam e pag. DCCCLXXXIX, 7. pro Seuiratus honore nominauit, huc spectare non videtur, sed possunt huius loco aliae substitui, in quibus is occurrit, veluti p. XCIX, 10. CXC, 6. MLXXIII, 6. sicut & honor pontificatus p. EXVI, 3, & honor augustalitatatis p. CCXXXVI, 10. p. MLXVII, 8. item honor flamonii, p. CXC, 5. Accedit, quod sacerdotibus tribuatur potestas ius dicendi, quapropter REINESIVS adeo inductus est, Augustales in magistratum censum habere, quod recte reiecit, qui de Augustalibus & Seuiris curatissime disputat F. HENR. NORIS in *Cenotaphiis Pisani Dissert. I. c. 6.* in 10. GEORG. GRAEVI *Thesauri antiquitatum & historiar. Italiae Tomi VIII, Parte III, pag. 69* sqq. Quum vero, ob potestatem ius dicendi in causis ciuilibus, magistratus honores dicantur, nescio, quid impediatur, quominus sacerdotes, ob eandem potestatem iis in causis ad rem sacram spectantibus competentem, eodem ver-

## II.

*Honorarium quid denotet adiectiue.*

Ex his ergo intelligitur, Romanos, dum significare voluerint, aliquid ad honorem quacunq̄ ratione pertinere, id, adiecta vocula, honorarium appellasse. Ita quod honori nobis est, quod pulcrum, & peculiari laude dignum, id honorarium dici consuevit. Sic CICERO *a) optimus est, inquit, orator, qui dicendo animos audientium et docet, et delectat, et permouet. Docere, debitum est: delectare, honorarium: permouere, necessarium.* Secundum hanc rationem quoque, animaduertimus a munere quodam nomen hominibus tribui cum adiectione vocis honorarii. Idque duplici ratione procedit. Primum enim honoraria muneris denominatio iis tribuitur, quibus ipsum illud munus quidem, certe ex aliqua parte, sed honoris potissimum causa, demandatum est, dein iis quoque, quibus non ipsum munus, sed nomen tantum sine re, folius honoris causa concessum est. Prioris generis sunt *tutores*, quos vulgo honorarios appellamus, vt ait VLPIANVS, *b)* qui quidem honoris causa dati sunt, *c)* sed quasi obseruatores & custodes, *d)* ideoque, licet tutelam ipsi non gerant, nec ideo huius generis tutela in numerum trium tutelarum imputetur, quae a tutela exculant, *e)* tutores tamen omnino sunt, &

A 3

tenen-

bo saluari possint. Quodsi tamen quis contendat, sicuti iurisdictionem, ita & honorem, speciali & singulari sensu magistratui, paullo latiori vero, non tamen absumili, sacerdotio tribui, quemadmodum & principatus honor occurrit in *c. quicumque ex corpore 7. C. de principibus agentium in rebus*, & ipsi hi principes inter honoratos numerantur, in *c. eos, qui ordine 5. C. eod. ad quas constitutiones conferri meretur CVAICIYS*, non valde repugnabo.

*a) De optimo genere orator. c. 1. f. 3.*

*b) c. si plures curatores 3. §. caeteri 2. D. de administrat. & peric. tutor. add. c. quodsi forte 14. §. sunt quidam. I. D. de solut.*

*c) Vti est in c. si quis tutor, 60. §. quid ergo 2. D. de ritu nupt. c. iure nostro, 26. §. honoris causa I. D. de testamentaria tutela.*

*d) cit. c. 3. §. 2. D. de administr. tut.*

*e) cit. c. 60. §. 2. D. de ritu nupt.*

tenentur quoque iudicio tutelae, *f*) si male passi sunt administrari tutelam. *g*) Quamobrem, quum diserte *VLPIANVS* ad honorarii tutoris officium id quoque referat, vt assidue rationem a tutore gerente exigat, *h*) mirari subit, quare *PAPINIANS* neget, honoris causa datum tutorem esse, quem pater a caeteris tutoribus, quibus negotia gerenda mandauit, rationes accipere voluerit. *i*) Ad alterum genus pertinent codicilli honorarii, de quibus singularis est titulus in Codice theodosiano, *k*) quorumque duo distinxit genera *IACOBVS GODOFREDVS*, *l*) alterum imaginariorum, vacantium alterum, vnde dignitates dicuntur honorariae, *m*) ipsique illi, qui iis ornantur, honorariorum nomine designantur. *n*) Est huic rei perquam simile hoc, quod *SVETONIUS* *o*) tumulum honorarium dicit pro cenotaphio, vt dudum a viris doctis animaduersum est. *p*) Ius quoque honorarium dici illam iuris nostri partem, quae ex magistratuum

*f*) cit. c. 2. §. 2. D. de administr. tut.

*g*) cit. c. 60. §. 2. D. de ritu nupt.

*h*) cit. c. 3. §. 2. D.

*i*) cit. c. 26. §. 1. D. de testam. tut. ad quem locum satis nobis *GODOFREDVS* non fecit. Quid enim interest, si pater diserte expresserit in testamento, quod, etiam si non dixerat, fieri debebat? Conf. cit. c. 14. §. 1. D. de solut. & cit. c. 3. §. apparet igitur. 6. D. de administr. tut.

*k*) Lib. VI. Tit. 22.

*l*) in paratit. ad dict. Tit. C. Theod. Tom. II. p. 115. cum quibus conferri merentur, quae *CVIACIVS* ad c. omnes privilegia 2. C. de dignitatum ordo seruetur XII, 8; de eodem argumento commentatus est.

*m*) c. in honoribus 7. C. Th. d. t.

*n*) c. iuxta eum tenorem 14. C. Th. de nauicular. (XIII, 4. Tom. 5. p. 80. edit.

*RITT.*) c. tirones 1. C. Th. qui a praebitione tironum & equorum excusentur (XI, 18. Tom. 4. p. 147. ed. *RITT.*) inprimis autem notari meretur c. omnes privilegia 2. C. de dignitatum ordo seruetur, vbi curate honorarii distinguuntur a vacantibus.

*o*) in vita *CLAVD. c. I. caeterum exercitus honorarium ei (Druso) tumulum excitauit.*

*p*) Vide *TORRENTIVM*, *CASABONVM* & *LIPSIUM* ad *SVET.* locum, quorum annotationes coniunctim habes in edit. quae ex recensione *GRAEVII Trai. ad Rhen.* tertium 1708. 4. prodiit, item *GVIL. BYDAEVM* in annotat. ad *Pand.* ad c. in tantum 6. de ver. dit. p. 72. edit. *Basil. de a.* 1557 f.

stratum iurisdictione ortum traxit, dupondii non ignorant. Sed de ratione huius denominationis non sine difficultate quaeritur. Quamuis enim FABROTTI *q)* sententiam, qui vnice praetori id tribuit, & ex eo deriuat, quod praetor honoratus dictus sit, post CUIACIUM, *r)* HEINECCIUS *s)* & BACHIVS *t)* reiecerint, tamen inter hos in eo dissensio occurrit, quod ius honorarium ille ex eo dictum putet, quod ex edictis eorum, qui honores gererent, profectum sit, hic ideo, quia in honorem eorum, qui edicta proposuere, iuris auctoritatem obtinuerit. Neque nouam esse hanc dissensionem iam dudum notauit IOSEPHVS NERIVS, *u)* qui THEOPHILIVS & PAPINIANTIVS *x)* auctoritatem pro posteriori, TRIBONIANI *y)* pro priori adfert, POMPONII autem verba *z)* adeo ambigua censet, vt possint in vtramque partem accipi, ipse denique in hoc tam libenter se TRIBONIANVM sequi dicit, quam PAPINIANVM, a quo & nos parum abesse profite-  
 putantes quidem cum BYNCKERSHOECKIO *aa)* POM-  
 PONII quoque verba in hunc sensum intelligenda, in PAPINIANTIVS  
 fragmento autem a correctione verecundius abstinendum esse.  
 Eadem hac ratione actio quoque dicitur honoraria, *bb)* & obliga-  
 tio,

*q)* ad THEOPH. *paraphr.* § 7. I. *de iure nat. gent. & cin.*

*r)* in *not. prior. ad cit.* § 7. I.

*s)* in *hist. iur. L. I. §. 61. not. & in hist. edictor. Lib. I. cap. I. §. 11. 12. in Opusc. postum. p. 12 sqq.*

*t)* in *hist. iurispr. rom. L. II. c. 2. Sect. 3. §. 1.*

*u)* *analectorum Libro I. c. 32. in OTTONIS Thesauri Tom. II. p. 267 sqq.*

*v)* loco, quem diximus sub lit. *g.*

*x)* in *c. ius autem civile 7. §. ius praetorium I. D. de iust. & iure.*

*y)* in §. *praetorum quoque 7. I. de I. N. G. & C.*

*z)* quae haec sunt in *c. necessarium itaque 2. §. eodem tempore 10. D. de O. I. Honorarium dicitur, quod ab honore praetoris venerat.*

*aa)* in *praetermissis ad L. 2. D. de O. I. Tom. I. Operum Colan. Allobrog. 1761. edit. pag. 288. vbi in c. 7. §. 1. D. de I. & I. pro ad honorem melius legi putat ab honore, vel ob honorem.*

*bb)* quae ciuili actioni opponitur in *c. si creditori meo. 28. pr. D. de legat. I. c. qui contra Sctum. II. D. de fideiussor. c. actionum genera 25. §. omnes actiones 2. D. de obl. & act. & alibi.*

tio, *cc*) caetera, quae a iurisdictione magistratum profiscuntur. *dd*) Bonorum quoque possessores dicuntur honorarii successores in libris nostris. *ee*) Curatores quoque honorarios *VLPIANVS ff*) dicit, qui a praetore constituuntur. An igitur simili ratione intelligendus *CICERO*, qui *CARNEADEM* dicit philosophorum controuersias, tanquam honorarium arbitrum, iudicasse, *gg*) & *CHRYSIPPVM*, tanquam arbitrum honorarium, medium ferire voluisse? *bb*) An huius quoque generis arbitria honoraria dicamus, quae iudiciis legitimis iungit? *ii*) Ita *BRISSONIO* visum est, *kk*) sed mallet ego, cum *V. S. V. ERNESTI ll*) & *GESNERO, mm*) hoc arbitri epitheton eo referre, quod honoris causa arbitrium ad aliquem defertur. Ita quoque vinum honorarium *ISIDORVS nn*) interpretatur, quod regibus & potentibus honoris gratia datur, & eadem videtur frumenti honorarii *oo*) ratio esse,

*cc*) §. omnium autem i. I. de Obligat. quem initar omnium nominasse sufficit.

*dd*) Ita Imperator in §. poena autem 7. I. de iniuriis poenam iniuriarum, quam praetores introduxerunt, honorariam appellari asserit.

*ee*) *VLPIANO* certe haec bonorum possessores denominandi ratio frequens fuit. Huius enim omnia illa sunt loca, in quibus illam inueni, veluti c. recusare autem 6. §. meminisse I. D. ad SC. Trebell. vbi legitimis heredibus iunguntur sub generali *intestatorum* appellatione, qua hic intelliguntur, qui intestatis succedunt. Pari ratione, quam antea heredum simpliciter fecerat mentionem, his iungit honorarios successores in c. sed & si 7. §. haec actio 9. D. de public. in rem act. c. si sine interrogatione 9. §. illud quaeritur 6. D. de interrogation. in iure faciend.

c. & per insurand. I 3. §. heres quoque II. D. de acceptilat. c. haec actiones 10. D. ad SC. Vellei. c. Sed & eius rei. 24. §. vn. D. fin. reg. c. legatorum nomine 1. §. nec nou 8. D. de legator. seu fideicommissor. ser. vand. causa caueatur.

*ff*) Fragm. Tit. XII. §. 1.

*gg*) Tuscul. quaest. V. c. ult.

*bb*) de fato c. 17.

*ii*) in orat. pro Q. Roscio Com. c. 5.

*kk*) in libro de V. S. l. v. honorarius.

*ll*) in clauis ciceronianis, eadem voce.

*mm*) in Thesaur. L. L. l. v. honorarius & arbiter.

*nn*) Lib. XX. Origin. c. 3. in GODO-

FREDI collect. p. 1316.

*oo*) Cuius mentionem fecit *CICERO* in Orat. in L. Pisonem c. 35. l. 86. vbi haec: Qui modus tibi fuit frumenti aestimandi? qui honorarii? si quidem potest vi & metu extortum, honorarium nominari.

esse, vt scilicet id sit, quod magistratibus in prouinciis, honoris causa, non ob honorem magistratus, dabatur. Honorariorum ludorum quoque a SVETONIO *pp*) fit mentio, quos quidem FESTVS *qq*) interpretatur eos, quos & liberalia *rr*) dicebant, curatius vero CASAVBONVS *ss*) eos esse conicit, qui ad honorem edentium pertinebant.

## III.

*Honorarium substantiue quid?*

Sed honorarii vox non tantum ita occurrit, vt aliis verbis, mutata, pro generis grammatici varietate, terminatione, iungatur & adiiciatur, verum quoque principaliter posita, vt, neutrius, quod dicunt Grammatici, generis terminatione assumta, singularem rem quamdam denotet, ideoque propria sua vi & notione consistat. Qua quidem in re potest interdum dubitatio oriri, vtrum principaliter & absolute, an adiunctiue posita, intelligi & accipi debeat? Ita in loco illo, quem ex CICERONIS in *L. Pisonem* oratione exscriptum dedimus, *a*) nos quidem, cel. ERNESTI *b*) aliosque *c*) sequuti, vocem *honorarii*, retulimus ad praecedentem

B tem

*pp*) in *v. Aug. c. 32.*

*qq*) in *collect. GODOFREDI p. 296.*

*rr*) Liberalia ipse FESTVS interpretatur *Liberi fisa*, quae apud Graecos dicuntur *Διονυσια*. apud GODOFR. p. 305. qui idem quoque ibidem *Liber* ait, repertor vini (i. e. *Bachus*) ideo sic appellatur, quod vino nimio vsi omnia libere loquantur. Add. ISIDOR. *Orig. XVIII, 6, ibid. p. 1274.*

*ss*) ad SVETON. l. c. vbi scite in rem suam, & vt probet, triplicem ludorum fuisse causam, deorum religionem, mortuorum *coriar* & edentium honorem, haec TERTULLIANI ex libro *de spectaculis* profert verba:

Sero enim transferunt ludi ab honoribus Deorum & mortuorum ad honores viuentium: quasritas dico, magistratus & flaminia ac sacerdotia, quibus addit CASAVB. postea autem ita res in frequenti vsu fuit, vt temporibus Augusti nemo aliquem locum honestiorem in rep. fortiteretur, quin magnam patrimonii partem in editione spectaculorum impenderet aut impendisset.

*a*) ad §. praeced. sub lit. *oo*.

*b*) in clau. *ciceron. f. v. honorar. & frumentum.*

*c*) veluti SIGONIVM *de antiquo iure prouinciarum* l. II. c. 5. prope finem *Tom. II. Librorum de antiquo iure pop.*

tem *frumenti*, eique iunximus, vt frumentum inde honorarium efficeretur. GESNERVS *d*) vero honorarii vocabulum hic absolute positum interpretatur. Quarentibus autem nobis de ista re & notione, quae honorarii verbo, simpliciter posito, subiiciatur, non multum laborandum erit, quum satis appareat, hac voce designari omne id, quod honoris gratia datur, ideoque id ipsum interdum honoris nomine insignitur, non tantum ab VLPIANO in libris nostris, *e*) verum quoque a M. ANNAEO SENECA, Rhetore, qui *quidquid*, inquit, *f*) aut *praemii aut honoris nomine datur, in vtramque partem sumi liceat*. Ita & NONIVS MARCELLVS *g*) honorem praemium designare notat, & SVETONIUM *h*) verbo *honore* hoc sensu vsum esse, vt denotaret praemia & munera dare, ab aliis iam obseruatum est. *i*) Est autem honorarii

*rom. edit. THOMASII pag. 209. BVRMANNVM de vestigalibus pop. rom. cap. 2. edit. Leidens. a. 1734. pag. 21. vbi pro aestimandi msuult legi: aestimati sicuti & SIGONIVS scripsit: aestimati. Vterque enim de triplici genere frumenti, decumani scilicet, emti & aestimati disputat istis locis, de quo vberius exposuit DIDER, SCHAUGHEN in *diff. inaug. de re frumentaria cap. 5. § 1—9. in quo postremo §. etiam de frumento honorario disserit, idque an fuerit dubitat. Vid. CERH. OELRICHS Thesaur. dissertation. iuridic. in academiis Belgicis habit. var. Vol. II. Tom. III. pag. 191—200.**

*d*) in thesuro L. L. I. V. *honorarium*. Eodem modo id intellexisse videtur praestantissimus ICTVS GVIL. BVDAEVS in *annotationibus ad Panactas ad c. solet. 6. de Off. procons. pag. 118. edit. Basil. de a. 1557.*

*e*) in *c. si remunerandi 6. pr. D. man-*

*dati & in c. praeses provinciae 1. §. proinde 5. D. de extraordinariis cognitionib.*

*f*) *Lib. 1. Controu. 8.*

*g*) *de propriet. verb. c. 4. n. 231. apud GODOFR. p. 666.*

*h*) in *Aug. c. 45. vbi haec: Itaque corollaria & praemia alienis quoque muneribus ac Indis & crebra & grandia de suo offerebat: nullique graeco certantium interfuit, quo non pro merito certantium quenzque honorauit. De corollariis, praemiis, quae scenicis dari solebant, praeter BEROALDVM ad hunc SVETONII locum, eleganter exposuit CLERNISTI in *clavi Ciceron. s. h. v.**

*i*) Scilicet a VAL. CHIMENTELLO in *marmore Pisano, de honore bisellii c. 33. apud GRAEVIUM in thesauro antiquit. rom. Tom. VII. p. 2157. vbi quoque eleganter obseruat, eodem sensu hoc verbo vsum esse VLPIANVM nostrum in c. hunc titulum 1. §. remouet autem 6. D. de postulando, vbi*



rarii varia & multiplex ratio. Ita enim honorarium dicebatur, quod rectoribus prouinciarum in prouincias aduenientibus honoris causa a prouincialibus dabatur, cuius generis erat vinum & frumentum honorarium, de quo supra diximus. Aliud honorarii genus erat antiquitus id, quod decurionatus honorarium vocat TRAIANVS Imp. 1) illud scilicet, quod decuriones solabant sub initio muneris inferre. FRANCISCVS POLLETUS m) quoque honorarii nomine designari dicit, *dominii recognitionem et releuamentum, symbola quaedam annua, vt fruges praecoces, armatos homines, cataphractos, lanceas, corollas et alia infinita, quae ad constitutum diem domino a vasallo repraesentari debeant, nisi pretio redimantur.* Sed mittimus haec omnia, neque iis hoc loco utimur, quum omnis nobis disputatio futura sit de illo honorarii genere, quod in contractibus obuenerit solet, & hac ratione generaliter finiri poterit, vt sit id, quod honoris & remunerationis gratia datur pro eo, quod praestitum nobis est ab aliis. Huius solius enim, nec tamen infrequens, in libris nostris mentio occurrit. n)

B 2

III. Mer-

dicat, qui in arena passi sunt se honorari, notam non euadere, quod copiosius & eleganter probat MATTH. ROEVERVS in *Specim. iurid. inaug. ad loca quaedam iuris ciuil. deprauata cap. 2. extr. in OELRICHS Thesauro dissertation. iurid. in academiis Belgicis habitat. Vol. I. Tom. I. pag. 145.* PHOTII quoque locum in *Nomoranone tir. 13. c. 21.* apprime haec explicantem adduxit CAESAR COSTA *variar. ambiguitat. iur. Lib. I. c. 28.* ap. EV. OTTON. in *thesauro Tom. IV. p. 1184.* Adde quoque, quae MARG. VETERANIS MAVRVS de *iure liberar. c. XI. ibid. Tom. III. p. 992.* ad interpretationem loci huius vexatissimi dixit.

1) Vid. PLINII *Lib. X. epist. 114.*

cum qua conferenda est proxime praecedens PLINII epistola, quippe ad quam TRAIANVS in ista respondit. Iunge his, quae CATANAEVVS & GESNERVS ad hanc TRAIANI epist. notarunt. Vtrum vero hoc honorarium PAPINIANVS in *c. spurii §. 6. minores I. D. de decurion.* intellexerit sub *sportularum* nomine, quod vult CATAN. ad ep. 113. & quod GVIDONI PANCIROLLO de *magistrat. municip. c. 3.* apud GRAEV. in *thes. Tom. III. pag. (51.)* etiam placuisse video, definire non ausim.

m) in *histor. fori rom. II. 10.*

n) v. c. in *c. praeses prouinciae I. §. in honorariis 10. & §. si cui cantum 12. D. de extraordinariis cognit. c. aduersus*

## III.

*Merces quae, et unde dicatur.*

Sed iam videamus quoque de mercede. Eam autem a *merendo* dici, & litterarum elementa, & verborum vis atque potestas adeo manifeste loquuntur, vt VARRONEM, qui ipse hanc simplicem vocis originem perspexit, *a)* miraretur quis, eandem, quasi compositam, a *merendo* & *acre* deducere potuisse, *b)* qui nesciret, quousque Romani progressi sint in improba illa, quam dicit GELLIVS, *c)* subtilitate, plura verba paucissimis litteris includendi. *d)* Merere autem, vel mereri, quamuis latius dicatur, &, vt verbum medium, in vtramque partem accipiatur, tamen DONATVS *e)* id ita definit, vt exacte mercedis notioni respondeat, dum *mereri*, inquit, *est aliquid mercedis pro labore sumere*. Merces scilicet in genere dicitur, quidquid pro opera & labore alicui soluitur. Ideoque hoc generali sensu complectitur etiam laborum liberalium praemium. *f)* Ita enim CONSTANTINVS Imp. *g)* medicis & archiatis, grammaticis & professoribus litterarum & legum doctoribus iussit *mercedes* reddi, i. e. salaria iis solui a ciuitatibus, *b)*

mensorem I. pr. D. Si mensor falsum mod. dixerit. c. qui operas. §. m. D. Locuti conducti. c. quotiens tutor. §. nec vtrique. 6. D. de administrat. §. perie. tutor. c. si sub specie honorarii. C. de postulando. c. preperandum nobis. 13. §. illo procul dubio. §. C. de iudicis. & alibi forte. Haec enim loca ideo tam diligenter adscribenda esse duximus, quia ea, praeter vnum, omnia praetermisit BRISSONIVS, eiusque editor HEINECCIUS.

*a)* de Lingua Lat. IV. 36. & VII. 7. apud GODOFR. pag. 29. & 63.

*b)* IV. 7. extr. pag. 9.

*c)* not. attic. XII. 14.

*d)* cuius ipse GELLIVS varia de-

dit exempla X, 5, XIII, IO. & plura alia concessit MENAGIVS in *amoenit. iur. ciuil. c. 39.*

*e)* ad TARENTII Andr. Act. II. scen. 1.

*f)* Recte vidit hoc cum DESID. HERALDO in *Animadversionibus in SALMASII Observat. ad ius attic. L. V. c. 20. n. 2. 8. 9.* BRVMMERVS in *comment. ad legem Cinciam c. 6. n. 5.* in *Brunnmerianis, quae multum edidit BEYERVS pag. 78.*

*g)* c. medicos 6. C. de professorib. & medicis.

*b)* Vid. IAC. GODOFRED. ad C. I. C. Th. de medicis & professor. (quae est

quo sensu & CICERO <sup>o</sup>) mercedis vocabulo vsus est. Nam quae hic merces dicitur, salarium ab VLPIANO <sup>l</sup>) vocatur. Sed & id ipsum, quod honorarium alias dicitur, mercedis nomine insigniri solet. Ita CICERO <sup>m</sup>) Tironi suo aegrotanti scribit: *medico mercedis, quantum poscet, promitti iubeto, & IUVENALIS: n)*

*Scire volunt omnes: mercedem solvere nemo:*

*Mercedem appellas: quid enim scio? culpa docentis*

*Scilicet arguitur.*

PAVLVS <sup>o</sup>) quoque tutores vult mercedes praeceptoribus pupil-  
lorum constituere, & VLPIANVS <sup>p</sup>) praefidem prouinciae, ait, de  
mercedibus ius dicere solere. Inprimis autem merces propria  
est locationibus & conductionibus. Nam quae pro re, aut opera  
locata alicui soluitur pecunia, ea proprie merces appellatur.

## V.

*Quid merces differat ab honorario.*

Ex hac ipsa autem mercedis notione, si eam cum honora-  
rii finitione comparas, absque difficultate apparebit, quae inter  
vtramque rem intercedat differentia. Locatio & conductio enim,  
cui esse propriam diximus mercedem, maxime similis est &  
proxima, vt ait CAIUS ICTUS, <sup>a</sup>) emtioni & venditioni, iisdem-  
que iuris regulis constitit. Huiusque affinitatis ratio potissimum  
in mercedis consistit cum pretio, quod in emtione & venditio-

B 3

ne

eadem cum cit. c. 6. C. Iust. cod. tit. praeter quam quod hanc TRIBONIANVS aliquantum, vt solet, interpolauerit) Tom. V. pag. 30. Edit. RITT.

i) qui in Philippica 2. c. 17. f. 43. at quanta, inquit, merces rhetori data est? — duo milia iugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori assignasti, & quidem immunita, vt pro tanta mercede, nihil sapere disceres.

l) c. ambitiosa 4. §. ult. D. de decrer. ab ord. faciend.

m) ad Famil. XVI, 14.

n) Sat. VII, 157.

o) c. cum plures 12. §. cum tutor 3. D. de adminisfr. & peric. tutor.

p) c. praefes prouinciae 1. pr. D. de extraord. cognit.

a) c. Locatio & conductio proxima 2. pr. D. Locati conducti.

ne venit, similitudine. Nam ut emtio et venditio contrahitur, inquit CAIVS, si de pretio conuenierit, sic et locatio et conductio contrahi intelligitur, si de mercede conuenierit. Quemadmodum enim in emtione & venditione constituitur pretium eminens ipsius rei, quae emitur venditur, eiusque substantiae, ita in locatione & conductione merces, quasi pretium eminens, non ipsius rei, stabilitur, sed vsus eius, quem, locando eam, alteri concedimus, aut operarum, quas locator conductori praestare tenetur. Quid enim operae, quae locantur, aliud sunt, quam vsus virium naturalium, quem conductori operarum locator concedit? ut adeo recte dici generaliter possit, in locatione & conductione semper id agi, ut alteri vsus rei nostrae concedatur pro certa mercede, siue res illa sit in patrimonio nostro existens, siue in viribus consistat naturalibus, quae & ipsae rerum denominatione continentur. *b)* Quum ergo merces sit pretium eminens vsus rei, quae in locationem & conductionem venit, quapropter & pretium interdum appellatur, non tantum a philosophis, *c)* sed & a Ictis in

*b)* Non tantum enim VLPPIANVS in *c. nominis* §. D. de *V. S.* docet nos, rei appellationem ad omnem contractum & obligationem pertinere, sed & PAVLVS, quum in capite proxime praecedente rei appellationem esse latiore dicit, quam pecuniae, quippe quae (seu quia, ut LEVENCLAVIVS notator. II, 126 apud OTTON, in *thes.* Tom. III, p. 1530. Graecos legisse aestimat, qui per *ἐπειδή* reddiderunt, quod tamen sensum non mutat) etiam ea contineat, quae extra computationem patrimonii nostri sunt, quum pecuniae significatio ad ea referatur, quae in patrimonio sunt, forte ad hoc ipsum respexit, quod iam dicimus. Nam quae sta-

tim subsequuntur agunt de opere locato. Sed constat quoque, facta sub rei appellatione contineri. Nam quae ex maleficio oritur obligatio, eam IVSTINIANVS Imp. in *pr. I. de obligat. quae ex delicto nascunt. ex re* nasci dicit. Cui non repugnat, quod alibi in libris nostris res & opera sibi inuicem opponantur, veluti in *c. aditio hereditatis* 45. §. *vlz. D. de acquirenda vel amitt. hered.*

*c)* Ita SENECA de *benefic. VI. 15. Emis*, inquit, a medico rem inaeestimabilem, vitam ac valetudinem bonam, a bonarum artium praeceptore studia liberalia & animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operae soluitur, quod deseruiunt, quod a rebus suis auocari nobis va-

in libris nostris, *d*) fieri non potest, ut operae, quae aestimationem non recipiunt, aut mercedem admittant, aut locationem & conductionem. Pro his ergo si quid praestatur, quia id pretium esse non potest, honorarium vocatur, quippe quod non datur in perfectam compensationem, sed in remunerationem tantum qualemcunque, & honoris magis, quam compensationis causa.

## VI.

*Quinam contractus secundum Romanorum instituta mercedem respiciunt, honorarium vero admittant.*

In genere igitur dicendum est, mercedem contrariam esse & repugnare omnibus illis negotiorum formis, quibus beneficium in alterum confertur. Beneficii enim ea est natura, ut gratis id praestetur, non pretio redimatur. Quidquid enim dato pretio acquirimus, aut quod, ut alter faciat, pecunia data efficimus, id non nostri, sed pretii illius causa, quod dedimus, ab altero in nos profectum esse intelligitur, neque id gratis, sed cum onere acquisivimus, ut par sit utriusque conditio. Nam in contractibus, quos onerosos in scholis vocare solemus, id maxime agitur, ut, quod utrinque praestatur, par sit, nec alteruter contrahentium ex ipso negotio illo, quatenus id inter contrahentes spectatur, altero fiat melioris conditionis. Quum vero ex Romanorum

*cant. Mercedem non meriti, sed occupationis suae ferunt. Et CICERO de Inuent. II. I. Cratoniatas dicit Heracleotem Zeuxin, qui tum longe caeteris excellere pictoribus existimaretur, magno pretio conductum adhibuisse. Idem de offic. II, 6 §. 21. utrumque iungit, dum varias causas enumerando, quibus trahuntur homines, ut quid homini tribuant, postremo, inquit, pretio ac mercede ducuntur.*

*d*) Ita LABEO c. quodsi domi 28. §. ult. D. Locati cond. pretium conductionis dixit, & IAVOLENVS in c. ea lege §. 1. §. vi. ibid. pretium & mercedem promiscue, quod idem fecit Labeo c. ult. §. ult. D. ad L. Rhod. de iactu. VLPIANVS quoque pretio conducere, & vno numo sibi inuicem opponit c. si quis ante 10. §. ult. D. de acquir. vel amitt. possess. Vid. CUIAC. Obs. IV. 26.

manorum philosophia bonarum & liberalium artium tantus erat honor, tanta dignitas atque praestantia, ut, quae harum auxilio praestarentur operae, aestimationem & pretium plane non admitterent, huius generis operis praestitis semper statuebant beneficium in alterum conferri. Ideoque duplex erat praestationum genus, quod mercedem, seu pretium eminens, plane respuebat, alterum scilicet earum, quae sua natura ita erant comparatae, ut aestimationem non reciperent, alterum earum, quae quidem sua natura admitterent, sed ex voluntate contrahentium gratis praestari deberent, cuius generis sunt, dum alteri usum rei nostrae, siue fungibilis, siue non fungibilis, gratis concedimus, aut custodiam rei alienae, aut alterius negotium, siue ultro, siue ex voluntate eius, gratis expediendum suscipimus, unde mutuum, commodatum, depositum, mandatum, negotiorum gestio proficiscuntur, quae omnia negotia benefica sunt. In his omnibus tamen, quum non repugnet beneficium nobis collatum remunerare & gratias ei referre, qui beneficio nos auxit, nihil impedire putabant Romani, quominus honorarium praestaretur, neque honorario praestito quidquam immutari existimabant horum contractuum & negotiorum naturam. Nam in primo genere praestationum, quas diximus ob praecellentiam & praestantiam artium, a quibus proficiscuntur, liberalium, aestimationem & mercedem non admittere, quantumcunque sit, quod honorarii loco reddamus, tamen semper supererit beneficium, quia perfecte id compensari nequit, quod ex hoc genere in nos proficiscitur commodum. Qua quidem in re videmus, subtilius aliquantum philosophatos esse Romanos, ut scilicet non tantum ad operae praestantiam respicerent, sed & ad animum & consilium eius, qui hanc operam nobis praestaret. SENECA enim exemplo eiusmodi utitur. *a)* Quid ergo? inquit, quare medico

*a) de beneficiis VI, 16.*

dico & praeceptori plus quidem debeo, nec aduersus illos mercede defungor? Quia ex medico ac praeceptore in amicum transeunt, & nos non arte, quam vendunt, obligant, sed benigna & familiari voluntate. Ideoque si medicus aut praeceptor nil, nisi mercenariam operam, praestat, eorum operas non esse beneficia iudicat. In iure autem quum ita subtiliter in quouis, quamente, quo consilio artem suam praestiterit, quaeri non possit, nec opus sit, vt quaeratur, quum is animus in quouis recte praefumatur, in ipsius artis honorem, quilibet, qui eam exercet, beneficio eos adficere habetur, quibus eiusdem ministerio auxilium fert, & is, qui hoc auxilio indiget, non operam eius, sed artem emere *b)* censetur. Videntur autem romani in quaestione illa, quanam facta sint locari solita, non tantum ipsam factorum naturam, sed & personarum, quae ea praestant, conditionem inspexisse. Id quod, contra BRVMMERVM, *c)* vel solo hoc argumento probare nos posse putamus, quod picturam, cuius artis praestantiam adeo agnouit IUSTINIANVS Imp. vt ob eam a regula iuris, alias in accessionibus stabilita, recederet, *d)*

C  
quamque

*b)* Hac ratione enim CICERO de officiis 1, 42. s. 150. liberales artes ab illiberalibus seingit, dum *liberates* sunt, inquit, & *sordidi* quaesitus mercenariorum, omniumque, quorum operae, non quorum artes enuntur. Est enim illis ipsa merces auctoramentum seruitutis. Opificesque omnes in sordida arte versantur. Nec enim quidquam ingenium potest habere officina — Postea pergit, s. 151: Quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocrius utilitas quaeritur, vt medicina, vt architectura, vt doctrina rerum honestarum, haec sunt iis, quorum ordini conueniunt, honestae.

*c)* In exercit. de locat. & conduct. cap. 3. §. 10. in Brummerianis pag. 411. licet magis id agere videatur, vt ne-

get, vnum idemque operarum genus, prouti vel ab honestioris, vel vtilioris conditionis homine praestetur, vel ad locationem conductionem, vel ad contractum innominatum relatum esse, quam, vt neget, quod nos hic asserimus, facta locari solita aestimata esse a romanis ex conditione eorum hominum, qui plerumque eas praestari soleant. Sed & prius illud non recte negari posse, apparet ex C VIACII conciliatione PAULI in c. 4. §. I. D. *fin. reg. cum VLPIANO* in L. I. D. *si mensor fals. mod. dix.* quam non improbat ipse BRVMMERVS *ibid.* §. 12.

*d)* §. si quis in aliena tabula 34. I. de R. D. Cf. c. in rem 2. §. sed & 3. D. de R. V.

quamque saepissime veteres cum poetica <sup>e)</sup> & eloquentiae arte <sup>f)</sup> compararunt, summoque honore habuerunt, <sup>g)</sup> ad locationem conductionem operarum referri videamus. <sup>b)</sup> In altero autem genere, quod fecimus earum praestationum, quae ex voluntate eius, a quo proficiuntur, gratis exhiberi debent, si honorarium interuenit, manet tamen beneficii natura, quum id, quod praestitum est, non huius contemplatione, sed liberalitatis gratia praestitum sit.

## VII.

*Honorarium an semper supponat contractum beneficium?*

Exposuimus haec secundum veterum Romanorum philosophiam. Videtur enim nobis ea demum sobria esse in iure philosophandi ratio, qua id potissimum agitur, ut summo studio & cura ipsa veterum ratiocinia inuestigentur, pleneque notiones rerum ex mente eorum informantur, & ex his pro eorum more deducantur, quae vera, quae iusta esse existimarunt. Hac sola enim via, qua Iureconsultos nostros philosophantes e vestigio quasi sequimur, non tantum quid, sed etiam quare, pro vero & iusto habuerint, curate perspicere nos posse, persuasum nobis habemus. <sup>a)</sup> Contra vero omnem iuris nostri prudentiam

cuertere,

<sup>e)</sup> Notissimum est illud Horatiani *de a. p. v. 9.*

<sup>f)</sup> Vide CICERON. in *Bruto* c. 18.

<sup>g)</sup> PLIN. *h. n.* XXXV. 1 sq. Neque in contrariam partem nos trahunt, quae SENECA Philosophus in epist. 88. de pictoribus dicit hunc in modum: *Non enim adducor, ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis, quam statuarios, aut marmorarios, aut caeteros luxuriae ministros. Est enim illa epistola totus in eo, ut probet, vnum studium vere liberale esse philosophiam, caetera pusilla &*

puerilia. Quare & grammaticam & musicam, & mathematicam, & alia multa eximit e numero liberalium artium. Quin potius ex hoc ipso loco probari posse putamus honorem picturae habitum. Nam si habitus tantus non fuisset, non habuisset philosophus, quare contra disputasset. Severe autem illum ex more Stoicorum philosophatum esse, quis non videt?

<sup>b)</sup> Vid. c. *naturalis mens* §. 8. *at quum do I. D. de praescript. verb.*

<sup>a)</sup> Ut ideo hac quoque ex parte,



euertere, acutissimaque veterum ICtorum ratiocinia penitus perturbare, nobis videntur, qui sola huius saeculi philosophia innati, imbuti & plane innutriti, antiquorum temporum sapientiam fastidientes, & incognitam quidem ac plane innotam alto supercilio contemnentes, a bonarum artium, inprimis linguarum, antiquitatum, historiae, critices studio plane abhorrentes, ad praestantissima veteris legum lationis, quae supersunt, fragmenta accedunt, neque sua philosophumena iisdem accommodant, sed haec potius legibus nostris inferunt, ingerunt, obtrudunt, non alia ratione eas, explicantes dicam, an detorquentes, ac si VLPPIANVM, IULIANVM, PAPINIANVM, PAVLVM, & quae sunt plura veneranda antiquitatis nomina, putarent WOLFFII aliorumque huius aevi philosophorum libros legisse, ex iisque sua depromissee, aut quae suis notionibus & opinionibus, ideoque soli verae sapientiae, contraria esse, haud raro, quia non intelligunt, putant, ea vel hanc ob causam reiiciunt, suaque, omnino meliora, rectoria substituunt. *b)* Sed mittamus hos, & rem nostram agamus, viam, quam ingressi sumus, ulterius prosequuntur. Scilicet quum ex beneficii natura, secundum Romanorum doctrinam, honorarium deduximus, facile quis credere poterat, in iis contractibus tantum honorario locum esse, quos hodie in

C 2

scholis

& quatenus in iure ex mente & secundum rationem veterum philosophamur, iuris nostri prudentia sit historica, qualem eam esse, singulari oratione elegantissime euicit iustus huius rei aestimator ANTON. SCHULTING, quam & *iurisprudentiae eius Antiquissimae* pag. 908 sqq. edit. Lipsiensis adiectam & *Commentationibus eiusdem academicis* a Celeberrimo V. H. LIO iunctim editis Vol. II. pag. 119 sqq. insertam inuenies.

*b)* Quam inanis, ne quid durius

dicamus, saepiuscule fit horum ita philosophantium iuris doctorum veterum ICtorum reprehensio, qua hila rem iurisprudentiae faciem deformant, eiusque dignitatem detrahunt & spoliunt, ipsis rerum argumentis, erudite & docte selectis, egregie probatum dedit FRID. GOTTFR. HOVCKIUS in *diff. inaug. de rationibus veterum ICtorum falso suspectis*, quam recudi curauit Cel. GERARD. OELRICHS in *Thesauri Dissertationum inuidicarum in academijs Belgicis habitarum* Vol. I. Tom. I. p. 315 sqq.

scholis solemus beneficos dicere. Neque tamen id volumus. Nam quum & hodie honorarium dicamus, quod iis praestatur, qui liberalium artium ope auxilium nobis ferunt, neque tamen adeo subtiliter philosophemur, vt singulari beneficio nos affectos putemus, si soluimus, quae debemus, nec ex parte eorum, quibus praestantur huius generis honoraria, ea quasi remuneratio- nes confiderentur & ἀντιδωρα, sed potius exigantur iure perfecto sibi debita, satis constat, nos honoraria huius generis non ad contractus beneficos referre. Nihilominus vero & nos honorarii nomen retinemus in honorem liberalium artium, idque ideo a mercede distinguimus, quia indignum videtur iis operis, quae per artes liberales praestantur, mercedem; quasi pretium eminentis, statuere. Quamuis enim hodie parum abesse videatur, quin & ipsa haec honoraria, quibus non raro certus modus, veluti in medicis, caussarum oratoribus & procuratoribus, publica lege praescribi soleat, mercedis naturam induant, tamen hoc non impedit, quominus illud nomen tueantur, & a mercede distinguantur. Nam & Romanorum legibus erat vario modo definitum, quantum caussarum patronis pro peroranda causa exigere liceret, c) neque his talibus legibus, quibus honorariorum quantitas definitur & ad certum modum reuocatur, ipsis his artibus liberalibus & operis, quae per eas praestantur, certa aestimatio constituitur, quippe quam sua natura respuunt, sed quum lucri immanis cupido, sacra-

c) de qua re copiose & elegantissime exposuit BRUMMERS in *commentat. ad Legem Cinciam* cap. 4 sqq. in *Brunnerianis* a BEYERO editis p. 40. sqq. notans c. 6. nr. 16. pag. 78. MERILLIVM, qui *Lib. VIII. Obseru. c. 21.* ipsa lege Cincia putat, certam quantitatem constitutam esse, quam aduocatis capere liceret, ideoque ipsius

legis Cinciae dispositionem, qua omnino prohibentur caussarum patroni donum munusue capere, confundit cum tenore subsequentium SCtorum, quibus hoc legis Cinciae caput correctum est & honoraria aduocatorum permitta quidem, sed ad certam summam reuocata sunt,

sacraque auri fames eorum quoque haud raro solet animos occupare, qui studiis his liberalibus operam dant, hique, licet seruii plane & mercenaria ratione, abuti possint hoc ingenuarum artium iure & priuilegio, immodicisque exactionibus onerare eos, qui eorum opera & auxilio vtuntur, *d)* omnino e re publica est, huic auaritiaë præcauere per eiusmodi leges, quæ modum certum honorariorum finiunt & determinant. Re igitur curatius inspecta, dicendum erit, duobus illis contractuum generibus, quorum alterum est beneficorum, onerosorum alterum, esse tertium adiungendum, quod ex utroque illo genere mixtum est, in quo quidem ab utraque parte quid præstatur ex lege conuentionis, ita, vt alterum pro altero præstetur, vt tamen alterum non sit pretium eminens & plenaria compensatio alterius, sed maneat aliquid & supersit beneficium & gratuitum, quod remuneratione non compensetur. Ita commode in rem nostram SENECA, *e)* *in optimis artibus*, inquit, *quæ vitam aut conseruant, aut excolunt, qui nihil se plus existimat debere, quam pepigit, ingratus est.* Ad hoc igitur mixtum contractuum genus referenda sunt ista honoraria. Sed præter hoc honorariorum genus, datur omnino hodie & alterum illud eorum, quæ in contractibus mere beneficis præstantur.

C 3

VIII.

*d)* Id quod factum certe apud Romanos esse, dubitare nos non sinunt variae de re ista querelæ, quæ in veteris Latii scriptoribus occurrunt. Ita Nigrinus, Tribunus plebis, referente PLINIO *Lib. V. Epist. 14.* questus est, vacitare aduocaciones, vacitare etiam præuaricaciones, in lites coiri, & gloriæ loco poni ex spoliis ciuium magnos & statos redditus, TACITVS quoque *Annal. Lib. XI. c. 5.* nec quidquam, inquit, publicæ mer-

cis tam venale fuit, quam aduocatorum perfidia. Sed quam contrarium Romani hoc aestimauerint bonarum artium dignitati, apparet ex C. SILII consulis grauissima oratione, in qua is, eodem TACITO auctore, eiusmodi mercedibus, dixit, bonarum artium principem, oratoriam scilicet, sordidis ministeriis foedari.

*e)* *de beneficiis Lib. VI. c. 17. extr.*

*Honorarium an pactione sibi stipulari quis possit?*

Stipulari autem sibi quemquam pactione honorarium posse in illis contractibus mixtis, secundum ea, quae diximus, dubitari nequit. In his igitur minime opus est, ut sponte id offeratur, ideoque hoc generale omnis honorarii requisitum dici nequit. Neque video, quare ab initio non possit constitui. Ideoque EVERHARDO OTTONI <sup>a)</sup> adsentiri non possum, qui in eo quaerit mercedis & honorarii differentiam, quod illa *initio* constituitur mechanicis & artem quaestuariam profitentibus, pro operis locari solitis, hoc artium liberalium magistris, *peracto negotio* praestetur. Neque VLPIANI, <sup>b)</sup> ad quem prouocat, auctoritate hac in re iuuatur. Quare cum GERARDO NOODTIO <sup>c)</sup> existimamus, etiam in his praestationibus & operis, quae proficiuntur ex liberalium artium professione & exercitio, recte in ipso initio negotii constitui salarium, seu honorarium, deque eodem inter partes conueniri posse. Et videtur eiusmodi pactionem respexisse SENECA philosophus, in loco, quem paullo ante exscripsimus. Sed de negotiis gratuitis & beneficis quaeritur: an is, qui gratuitam operam praestat, stipulari sibi honorarium possit? Id quod, quantum ego quidem scio, negant omnes. Et NOODTIUS quidem hanc in rem utitur M. ANNAEI SENECAE <sup>d)</sup> rhetoris auctoritate, qui *quidquid aut praemii, inquit, aut honoris nomine datur, in utramque partem sumi liceat: alioquin desinit praemium esse, cui necessitas iungitur.* Sed, honor sit manibus tanti viri, nulla videtur huius loci vis ad probandum id esse, quod vult. Quod ut appareat, verba haec integro

<sup>a)</sup> in *Comment. ad Inst. ad §. 13. de mandato nr. 2. pag. 467.* edit. Traiectinae.

<sup>b)</sup> in *c. aduersus mensorem 1. pr. D. Si mensor falsum modum dixerit.*

<sup>c)</sup> in *Comment. ad Pandect. Tit. Man-*

*dari. in Operibus Colon. Agripp. a. 1732. editis Tom. II. pag. 295.*

<sup>d)</sup> *Lib. I. controu. 8. hic numerus enim octonarius substituendus est nonario, quem nominat NOODTIUS.*

integro contextui & sermoni, ex quo decerpta sunt, restituamus. Sermo autem est rhetori de filio, quem pater abdicare volebat, e) quia postquam ter fortiter pugnaverat, legis vacatione uti & patri  
vt

e) Nam quod SENECAM saepissime facere animaduertit GEBAVE-  
RVS, cui sit terra leuis, in *Diss. de patria potestate*, quae Goetr. 1751. prodiit, & secunda est huius argumenti, cap. 2. §. 3. pag. 27. vt graeca misceat latinis, ex more rhetorum, id etiam hoc loco ei excidit. Minime enim putamus, hoc loco, & multis iis, qui in QVINCTILIANI *Declamationibus*, veluti 9, 17, 258, 260, 281, 283, 298, 322, 330, de abdicatione liberorum occurrunt, probari posse, hanc abdicationem liberorum romani perinde, ac graeci iuris fuisse. Id quod ipso QVINCTILIANO, vt recte animaduertit acutissimus eius & doctissimus commentator P. BYRMANNVS, in notis ad QVINCT. *Inst. orat. Lib. VII, c. 4. pag. 630.* docemur, qui *ibid. pag. 626.* vbi de iudicio abdicationis & aliis dixit, quibus, inquit, similia etiam in vera rerum quaestione tractantur. Nam quae in scholis abdicatorum, haec in foro exhaeredorum a parentibus, & bona apud censiles repetentium ratio est. Quae illic male tractationis, hic rei uxoriae, quum quaeritur, virius culpa diuortium factum sit. Quae illic dementiae, hic petendi curatoris. Ex quibus intelligitur, iudicium abdicationis, de quo & iura nostra silent, romanis in foro nullum, sed in rhetorum tantum scholis fuisse, licet simile quid in exheredorum querela obuenerit. Solebant enim, teste QVINCT. *inst. orat.*

II. 1, princip, praeceptoribus graecis eloquentiae discipuli tradi. Minus recte igitur AERODIVS ad QVINCTIL. *Declam. 260, in edit. BYRM. pag. 481,* haec ita interpretatur, quasi abdicationes, quia paulatim minus frequentari solitae, plus essent scholae, quam fori. Quae vero profert loca veterum FESTI, scilicet, CICERONIS *de finib. I, (cui addo cap. 7. §. 24.) VALERII MAX. V, 7, & 8, SVETON. in Aug. 65. PLIN. hist. nat. VII, 45,* ea summum ad hoc tantum valent, vt inde probetur, vsos fuisse interdum romanos hac graeca abdicatione. Idque egregie conuenit cum DIO-CLETIANI & MAXIMIANI Imp. testimonio in c. 6. C. *de patria potest.* vbi abdicatio, inquit, quae graeco more ad alienandos liberos usurpatur, & ἀποχρησις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. Usurpari eam dicunt, vt indicent, non de iure, sed de facto eam in vsum venisse, hoc sensu enim verbum illud in iure nostro occurrit. Vid. c. *iniuriarum actio §. ult. D. de iniuriis.* Ideoque ipse forte SENECA philosophus de beneficiis VI, 4. intelligit patres filios abdicantes, quos diuos & sceleratos dicit, quod sane non poterat, si abdicatio liberorum iure quiriritum permisa fuisset. Verba eius haec sunt: *Quid? non tam duri quidam & tam scelerati patres sunt, vt illos auersari & eiuuare ius fasque sit?* Paulo aliter de abdicatione

vt secum moraretur desideranti, morem gerere recusans, *f*) quartum in praelium ire volebat. Primum igitur pater exponit, filium fortem plus esse, quam aut legi aut patri fat sit, seque filium grauius vulneratum ex tertio praelio sibi non redditum, sed reatum, iam se fugientem & quidem ad hostem, militia vacare volentem, quod patriae super sit, patri vindicare. Tum filius contra haec a patre prolata ita disputat: *Pater putat, me dignum esse, qui saluus sim. Senator post sexagesimum et quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. Praetorio licet praetexta toga viri festis aut sollemnibus diebus: numquid necesse est?* Hisque illa supra prolata adiungit: *Quidquid aut praemii aut honoris nomine datur, in utramque partem sumi liceat: alioquin desinit praemium esse, cui necessitas iungitur.* Apparet, si quid video, manifeste, non hic de necessitate praemio adiuncto ex parte dantis, sed ex parte accipientis, sermonem esse, neque praemium esse desinere id dici, quod efflagitatur & exigitur, sed quod accipere oportet, nec recusare fas est. Ad hoc enim pertinent exempla, quibus vitur, senatoris senis, & viri praetorii, quibus lex quidem absentiam e curia & vsum praetextae indulgeat, non vero quasi necessitatem imponat. Hoc argumento vincit, quod pater de vacatione legis opposuerat. Quod igitur dicit: *in utramque partem sumi liceat*, ita accipiendum est: & acceptare & recusare liceat. Quam quidem interpretationem, si parum quis putat verbis conuenire, id non interpretis, sed ipsius orationis vitium

sentit, romanam a graeca secernens  
 Cl. BREVNING. in diss. *περὶ ἀποκρήσεως* s. de abdicatione ad L. 6. C. de patr. potest.

*f*) abdicatur enim aliquis, vt ait  
 QVINCT. *Inst. Orat.* VII. 4. p. 624.  
 edit. BYRM. *quod inuito patre militavit.*  
 Caeterum si conferre lubet cum hoc

SENECAE loco, quae dicit QVINCT.  
 VII. 1. pag. 585. *Huic in schola similis est: Non abdicabis — virum fortem, vt & fortem, non quicumque voluntati tuae non paruerit &c. clarissime elucescet, hanc controuersiam SENECAE secundum hunc morem rhetorum in scholis vitatum propositam esse.*

tium erit. Non enim detorta in hunc sensum oratio est, sed inesse eum sermoni, apparet ex totius orationis compage. Constat igitur, *SENECAM* haec, quae diximus, intellexisse, licet minus commode, minus apte dixerit. Accedit denique, quod his verbis nullus plane sensus aut dari possit, aut affingi, si locum illum ex mente *NOODTII* interpretari lubeat. Sed satis, aut nimium forte, de hoc *SENECAE* loco diximus. Iam de ipsa re videamus, cui detracta etiam rhetoris auctoritas eo minus fraudi erit, quo minus ex iis, quae is in vtramque partem disputat, potest quid certi de ipsius pro alterutra opinione & sententia statui. Videtur autem omnino nobis fieri posse, & quotidie adeo inter nos fieri, ut quis etiam in contractibus beneficis & gratuitis honorarium sibi stipuletur, salua horum contractuum natura. Quod quomodo fieri & procedere possit, paucis exponemus. Nam qui in contractu aliquo benefico, veluti mandato, vel deposito, honorarium sibi stipulatur, seu de honorario praestando cum altero conuenit, is primum, quod honorarii nomine stipulatur, non quasi mercedem, seu tanquam pretium eminens operae a se praestandae exigit, deinde ne ita quidem honorarium stipulatur, ut pro eodem operas suas praestet, quin potius operam ipsam gratis praestat, & praestare intendit, sed quia aequum sibi videtur, ut alter gratias ipsi referat, de his ipsis gratias referendis cogitat, easque conuentione determinat. Ideoque, quod tertio loco notamus, haec conuentio de honorario praestando non ipsum illum contractum, quasi pars eius, ingreditur, sed est quasi ab eodem plane seiuncta & separata, licet iste contractus causam ei dederit. Neque denique is, qui honorarium in huiusmodi contractibus sibi stipulatur, id agit, ut ex iure perfecto illud, quasi debitum, exigat, quin potius quaerit tantum, annon sibi honoris causa praemium sperandum sit? aut rogat summum, ut praestetur. Huic interrogationi, his

D

precibus

precibus dum annuit alter, qui itidem hoc nullo iure cogente facit, inde oritur haec de honorario conuentio, quae hac ratione saluam omnino relinquit naturam contractus beneficii. Neque enim hac conuentione contractus iste in mixtum conuertitur, quum honorarium hic non ita constituitur, vt pro eodem & propter illud opera praestetur, neque haec pactio ipsam naturam contractus ingrediatur, quod vtrumque fieri intelligitur in contractibus, quos mixtos vocare solemus. Solet huiuscemodi de honorario praestando conuentio saepissime non tantum gratuitis, sed & ipsis onerosis contractibus, vt locationi conductioni, accedere. *Sordidissimorum quoque artificiorum institutoribus,* ait SENECA, g) *supra constitutum aliquid adiecit, si nobis opera eorum enixior visa est, et gubernatori et opifici vilissimae mercis, et in diem se locanti corollarium aspersimus.* Nos vero addimus: solent quoque huiusmodi homines in operarum locatione frequentissime eiusmodi corollarium sibi stipulari. Et plane eadem ratione id fieri quoque solet in contractibus beneficiis. b) Ideoque non opus est, vt sponte offeratur honorarium, neque in contractibus mixtis, neque in beneficiis.

## VIII.

*De summa distinctione in quaestione de actione, qua honorarium petatur, adhibenda.*

Quaestio, quam nunc proponimus, de genere actionis ad honorarium consequendum instituendae, parum abest, quin ad vexatas

g) *de beneficiis VI. 17. pr.*  
 b) Est hoc illud, quod nostris hominibus, sub nomine *einer Ergoerlichkeit, eines Trink- oder Biergeldes* aut paullo honestiori vocabulo, a Gallis adoptato, *eines douceur* venire solet. Quid autem frequentius est ista inter-

rogatione, aut his precibus: *Der Herr giebt mir doch ein Trinkgeld?* Qua quidem accedente in contractu beneficio, minime puto mutari eius naturam, sed non obstantem eodem contractum manere beneficium.



tas, quas dicunt, & difficiliores iuris quaestiones a Doctoribus referatur. Certe GEORGIUS FRANTZKIUS *a)* idem sibi, quod SALICETVM *b)* de se confessum dicit, accidisse affirmat, quod scilicet haec res, quam non expeditam putat, diu illum torserit. Neque tamen melius quidquam aut rectius post diurni temporis angorem inuenire potuit, quam illud, quo SALICETVS hisce difficultatibus se extricare annisus est. Nos vero, dum inspiciebamus filuam distinctionum, quibus rem expedire voluit, *c)* parum aberat, quin putarem, magis illum vna cum duce suo, quem e vestigio sequutus est, rem implicasse, quam explicasse. Facilius forte & tutius est via, quam incedendo omnem hanc de honorario doctrinam planiorem inuenire nos putamus, & quam haec commentatiuncula ingressi sumus, vt scilicet distingueremus contractuum genera, in quibus honorarium obuenire potest, quibus quidem inter se commixtis, nec curate seiunctis, omnia videntur confusa & quadrata mixta rotundis.

## X.

*Honorarium in contractibus beneficis interueniens, qua actione petatur?*

Quum duo constituimus contractuum genera, in quibus honorarium obuenire possit, alterum beneficorum, mixtorum alterum, hanc distinctionem vltius sequuturi, videamus primum de actione, qua honorarium peti debeat, quod contractibus beneficis interuenit. Possesse enim hisce contractibus interuenire, etiam ex mente romanorum, VLPIANI effatum *a)* nos

D 2

dubita-

*a)* in Commentario in XXI. libros pandectar. iur. civil. priores Tit. mandati vel contra. nr. 27. p. nr. 438. edit. Argentorat. a. 1644.

*b)* in c. i. C. d. r. nr. 2. in fine.

*c)* a nr. inde 27, quem diximus sub lit. a, vsque ad nr. 40.

*a)* in c. si remunerandi 6. pr. D. Mandati vel contra.

dubitare non finit. Faciamus autem distincta huius rei capita, quorum perpauca erunt, singulaque definitione comprehendamus.

I. Primum igitur, si de honorario plane non conuenerit, quum nec ex natura contractus peti id possit, & deficiat aliud fundamentum illud exigendi, satis apparet, peti id plane non posse.

II. Dein vero, si super honorario constituendo stipulatio confecta inter partes sit, dubitandum non erit, condictione certi ex stipulatu ad id consequendum agi posse. De qua quidem re quum inter omnes constat, nec quisquam contra sentiat, opus non est, ut plura proferamus.

Sed quid, si non stipulatione, attamen nuda pactione, de honorario conuenerit? Videtur res ex natura pactionum de iure romano finienda esse. Iam vero certissimi iuris est, & contractibus bonae fidei posse in continenti pactionem adici, hoc quidem effectu, ut ex ipsa pactione, quasi illa contractui inest, detur actio ex contractu, *b)* & omnes illos contractus beneficis, quibus de honorario conuentio adici potest, bonae fidei esse. *c)* Ideoque

## III. du-

*b)* Vid. *c. iuris gentium 7. §. quintimo §. D. de pactis.*

*c)* IUSTINIANVS enim docet nos in *§. actionum autem 28. I. de action. actionem mandati, depositi, commodati esse bonae fidei.* Sunt quidem, qui, ut hoc probent, CICERONI quoque testimonium denunciant, quippe qui *Lib. III. de offic. c. 17. Quidem SCAEVOLA, pontifex maximus, inquit, — fidei bonae nomen existimabat manere latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fidei, manda-*

*ris, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus vitae societates continentur; in his magis esse iudicii statuere, (praesertim quum in plerisque essent iudicia contraria) quid quemque cuiusque praestare oporteret.* Sed didicimus a CUIACIO *Lib. IX. Obseruat. c. 2. sermonem non esse TVLLIO hoc loco de actionibus contrariis, sed de iudiciis hominum contrariis & pugnantibus in quaestione de aequo & bono.* Is quoque auctor nobis fuit, ut scriberemus iudicii loco iudicis, quod vulgo, sed

III. dubitari non potest, quin, si huiusmodi pactum in continenti adiectum sit contractui, ex ipso hoc contractu detur actio ad honorarium petendum i. e. actione contraria ex contractu agi possit ad consequendum honorarium. Qua quidem in re non utimur *VLPIANI* auctoritate. Is enim, dum, *si remunerandi gratia*, inquit, *d) honor interuenit, erit mandati actio*, omnino, quod lubentissime damus *VOETIO*, *e)* asserere tantum videtur, per honorarii promissionem non euertere substantiam mandati, nec illud in locationis conductionis aut alterius contractus speciem transire, sed manere nihilominus mandatum & competere mandati actionem, minime vero his verbis contendere, ipsam hanc mandati actionem dari ad honorarium consequendum. Neque tamen in eo *VOETIO*, *VINNIO*, *f)* *FRANTZKIO*, *g)* *STRVVIO*, *b)* adfentimur, quod ideo negandum sit hoc, quod quidem ex illo loco probari nequit, attamen ex generali doctrina romanorum de pactis adiectis recte cogitur. Quae quidem ratiocinandi ratio si periculosior cui videbitur, dabimus aliud ex ipsis legibus argumentum, quod propius ad rem nostram accedit. Docemur autem a *PAVLO*, *i)* in deposito irregulati, si de usuris quantitatis depositae pacto conuentum sit, quamuis iste contractus depositae pecuniae modum excedat, tamen secundum conuentionem usuras quoque actione depositi peti posse. *Si enim ab initio de usuris praestandis conuenit,*

D 3

male, habent libri editi. Nec quidquam apud nos contra haec clara Imperatoris verba valet *PVFENDORFII* auctoritas, qui *Libro V. de I. N. & G. c. 2. §. 8.* contractus onerosos omnes putat b. f. beneficis autem stricti iuris fuisse.

*d)* locum indicauimus sub *lit. a.*

*e)* in *Comment. ad Pandect. Tit. mandati. n. 2.*

*f)* in *Comment. ad Inst. ad §. ult. de mandato. nr. 1.*

*g)* loco, quem nominauimus ad *§. praec. lit. a. nr. 34.*

*h)* in *Syntaxate iuris ciu. Exerc. 22. §. 8.*

*i)* in c. *Publia Maenia 26. §. Lucius Titius I. D. Depositi vel contra.*

conuenit, ait PAPIANVS, l) *lex contractus seruabitur.* Quodsi igitur in deposito conuentio de vsuris, tanquam lex contractus, seruanda est, & ex ea depositi actio institui potest, quid impedit, quominus in deposito, mandato, commodato, si honorarium pacto promissum est, de eo consequendo detur actio depositi, mandati, commodati? Sed actione contraria ex his contractibus agendum foret, de vsuris vero, in deposito conuentione promissis, actio depositi datur directa. Omnino quidem. Sed quid interest? Nam quod dicit FRANTZKIUS cum SALICETO suo, pactum appositum tunc demum informare contractum, quando non est contra illius naturam, & facilius informari actionem directam, quam contrariam, id ex parte legibus repugnat; nam pactum de vsuris quoque egreditur notissimos depositi terminos, ex parte vero legum auctoritate destituitur. Nam si in eo, quod generaliter dicit VLPIANVS, m) conuentiones formare ipsam actionem in bonae fidei iudicii, pacta conuenta inesse bonae fidei iudicii, distinctionem recipias, & neges, procedere id in actionibus contrariis, vereor sane, ne lege non distinguente distinguas.

IV. Ex interuallo autem, si adiectum est pactum de honorario praestando, nulla competit de iure Romano actio, secundum eandem VLPIANI nostri doctrinam.

## XI.

*De actione, qua petitur honorarium in contractibus mixtis.*

Paucis his regulis, quibus inclusimus omnem doctrinam de actionibus, quae dantur ad consequendum honorarium in contractibus beneficis promissum, iungenda erit vnica haec:

V. In

l) in c. *Lucius Titius* 24. D. d. t.

m) loco, quem diximus sub lit. b.

V. In contractibus mixtis extraordinaria cognitione opus est, ut consequamur honorarium, promissum non tantum, verum quoque non promissum. Vtrumque satis clare docent PAPINIANVS a) & ULPIANVS. b) Neque recte putamus COCCIVM hic distinguere, ut promissum salarium actione praescriptis verbis, non promissum vero extra ordinem peti debeat. PAPINIANVS enim de salario *constituto* loquitur, quod extra ordinem petitur, in eoque considerari praecipit, quid dominus *voluerit*.

Singulariter autem & ex nimis subtili philosophia receptum erat apud Romanos, ut nec philosophi, nec iuris civilis Professores petere possent honoraria sibi promissa. Illi vetantur, *quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere, hi vero, quia sanctissima quidem res est civilis sapientia, sed quae pretio numario non sit aestimanda, nec dehonestanda, dum in iudicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti offerri debuit.* c)

## XII.

*De indeterminata et incerta honorarii promissione.*

Honorarium autem si promissum quidem est, sed indefinite & nulla quantitatis adiectione facta, quaeri solet, an id recte in foro peti possit? Respondemus: Si contractui benefico huiusmodi incerta promissio adiecta est, secundum iuris romani.

a) in c. *salarium procuratoris* 7. D. *mandati*.

b) in toto c. *praeses pron.* I. D. *de extraord. cognit.*

c) in cit. c. 1. § *an & philosophi* 4. & §. *proinde* 5. D. *de extraord. cognit.* Multa quidem ad haec loca differit

SALMASIVS (est enim is ipse auctor) in *Miscellis defensionibus pro Cl. Salmasio de variis observationibus & emendationibus ad ius atticum & romanum pertinentibus* pag. 533. sed plura ex iis, quae profert, non discas, quam quae ipsius ULPIANI verbis insunt.

ni *a*) & germanici *b*) praecepta, ne hodie quidem, peti quid potest, *c*) sin vero in contractibus mixtis huius generis promissio interuenerit, agi ad honorarium potest, & iudicis erit, illius quantitatem pro arbitrio suo finire. *d*)

*a*) *c. qui mutuum* § 6. §. *salarium* 3.  
*D. Mandati.*

*b*) Est in I. S. P. L. I. *art. 22. Wer auf Gnade dienet, der muß auf Gnade mahnen.*

*c*) Vid. LEYSER *medit. ad Pand. Spec.* § 19. *med. IO. II.*

*d*) *c. praefes prou. I. §. in honorariis IO. D. de extraord. cognit. LEYSER l. c. m. 12 sqq.*

Kiel, Diss., 1777-1800



f  
5b.





ni *a*) & germanici *b*) praecepta, ne hodie quidem, peti quid potest, *c*) si vero in contractibus mixtis huius generis promissio interuenerit, agi ad honorarium potest, & iudicis erit, illius quantitatem pro arbitrio suo finire. *d*)

*a*) c. qui mutuum § 6. §. salarium 3.  
D. Mandati.

*b*) Est in I. S. P. L. I. art. 22. *Wer auf Gnade dienet, der muß auf Gnade mahnen.*

*c*) Vid. LEYSER *medit. ad Pand. Spec.* § 19. *med.* IO. II.

*d*) c. praeses pron. I. §. in honorariis IO. D. de extraord. cognit. LEYSER I. c. m. 12 sqq.



G. 3. num. 27.

19

1775, 2

10

DE  
H O N O R A R I O  
E I V S Q V E  
A M E R C E D E D I S C R I M I N E  
A V C T O R I T A T E  
I N C L I T I I V R I S C O N S V L T O R V M O R D I N I S

P. 19

P R A E S I D E  
A D O L P H . F R I D . T R E N D E L E N B U R G

S. PALATII CAES. COMITE  
I. V. ET PHILOS. D. SACRAE REGIAE MAIEST. DANICAE  
A CONSILII IN REBUS PVBLCIS  
IVRIS ANTECESSORE PRIMARIO  
SOCIET. DVC. TEVT. HELMSTAD. MEMBRO HONORAR.

P R O  
S V M M I S I N I V R E H O N O R I B V S  
R I T E C A P E S S E N D I S

D I S P V T A T

A V C T O R  
F R I D E R I C V S N V E R E N B E R G

G R Y P H I S W A L D E N S I S P O M E R A N V S  
S A C R A E R E G I A E M A I E S T . S V E C I C A E S V M M I I N G E R M A N I A  
T R I B V N A L I S W I S M A R I E N S I S P R O C V R A T O R O R D I N A R I V S  
E T R E G I I C O N S I S T O R I I W I S M A R I E N S . S E C R E T A R I V S .

A. D. XVIII SEPTEMBR. A. O. R. 1800.

C H I L O N I I H O L S A T O R .  
E X O F F I C I N A B A R T S C H I A N A .

